

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber  
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput VII. Qaliter ist beatissima anima est salutata.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

## CAPUT VII.

QUALITER ISTA BEATISSIMA ANIMA EST SALUTATA.

ITEM videbatur Christi ancillæ in somnis salutare animam sororis suæ defunctæ in hæc verba : « Saluto te, Christi sponsa, in amore quo flagrasti cum primo vultum et decorum Dei creatoris tui revelata gloria aspexisti. Saluto te, Virgo Christi, in dulcore quem sensisti, cum inæstimabilem Dei, quam ab æterno erga te habuit charitatem, per suam experientiam plene agnovisti. Saluto te in decore perfecto quo fulsistي, cum omnium operum tuorum plenissimam remunerationem de manu Domini, regis et sponsi tui, accepisti. » Hoc dum fecisset, cogitare cœpit quomodo animam non canonizatam taliter auderet salutare. Cumque sic intra se hæsitans Dominum super hoc interrogaret, ille dignanter respondit : « Bene et congrue hoc fecisti; ipsa enim est honor omnipotentiæ meæ, decus sapientiæ meæ, et allectio divinæ bonitatis meæ. »

Altera vice vidit animam ejus in una chorea mirabiliter gloriose; [quæ erat] habens crines pulcherrimos, qui eam miro decore venustabant. Delicatus autem et floridus sponsus Dominus Jesus tenens manum ejus dixit : « Non erant illi tot capilli, quot virtutes inerant ei. »

Alia vice cum iterum eam videret in gloria, requisivit quale meritum pro eo receperisset, quod tam devote solebat replicare Psalmum : *Laudate Dominum omnes gentes*, specialiter in festo Resurrectionis. Quæ ostendit ei viridia vestimenta miri splendoris, quibus erat vestita; et erant innumeris aureis stellis perornata, et suturæ mira quadam

Quantum  
Gertrudis  
SS. Trinitati  
complacet.

Infirmariæ  
accipit  
præmium.

varietatè quasi cum albis margaritis et roseis lapillulis erant intermixtæ. Tunc ait ad eam : « Dum sis in abundantia omnium bonorum, quid nunc dare vis Sorori, quæ tibi in infirmitate tam fideliter servivit ? » At illa tangens unum de roseis lapillulis dixit : « Hoc porta illi ex me. » Ad quod dum illa diceret : « Cum hæc videam in spiritu, bene scis quod corporaliter hoc non possum illi praesentare. » Illa respondit : « Ista albedo quæ appetet in suturis vestimento- rum meorum signat humanitatem Jesu Christi, quæ præ omni mansuetudine suavissima erat, et rubor lapillulorum signat passionem Agni immaculati. Unde dic illi quod confidat de Dei misericordia; quia ego precibus meis volo ipsi obtinere apud Dominum meum, ut det ipsi mansuetudinem, et ut libenter pro ipso patiatur adversa <sup>1.</sup> »

## CAPUT VIII.

QUALITER IN TRICESIMA VISA EST.

**I**n tricesima iterum anima ejus apparuit eidem in nova et superexcellenti gloria, vallata gloriois cœlestium principum agminibus, qui omnes cymbala tenebant manibus, et tam per cymbalorum quam per vocum symphoniam suavissimam replicando cantabant versiculum : *Laudate Deum in tympanis benesonantibus* (PSAL. CL.) etc. Et cum inter

1. In codicibus qui hanc sextam libri partem continent, duo hic subsequuntur capita quæ, licet jam initio partis quinta sint, in his etiam sicut in cæteris codicibus, scripta, iterum post caput septimum hujus sextæ exhibentur : ea vero semel tantum posuimus, ubi scilicet agitur de charitate B. Mechtildis erga defunctorum animas. Part. V. c. 1. et 2.